

ta & amplæ in ipso Principe virtutes fuere: sanum inge-
nium, nihil ficti, nihil simulati habens; pacis studiosus,
religionis amicus, flagitorum insectator acerrimus; son-
tes & sceleris convictos, aut merito suppicio affecit, aut
si id minus facere contigit, proscribendos curavit: pacem
a Foscaro Principe, quasi per manum acceptam, domi
forisque custoditam, successori nullo modo violatam tra-
didit. Ad hanc & alias illius principatus felicitates ac-
cessit, quod librorum imprimendorum ratio tum primum
est in Italia reperta. Commentum ipsum Germani homi-
nis creditur. Sed quum tota Italia procedente tempore
divini operis officinæ constitutæ sint, sitque aperta æmu-
latione inter opifices diligentia & ingenio certatum, Ni-
colaus Jenson, quem Veneta civitas sortita est, omnes
alios in eo genere laudis post se procul reliquit. Maripe-
trus, quum annis quatuor & dimidio Rempublicam ad-
ministrasset, vita defunctus ad Gemellorum ædem honori-
ficientissime est elatus,

Christophorus Maurus ei succedit: cuius altero ducatus
anno cum Othomano Rege terra marique bellari est cœ-
ptum. Causa autem suscepiti belli breviter repetenda est.
Post multas clades Christiano nomini in Græcia & aliis
Europæ regionibus illatas, animum ad Peloponnesum oc-
cupandam barbarus adjecit. Est terra ipsa peninsula, at-
que unum (ut ajunt) ex tribus Europæ promontoriis:
Corinthiaco isthmo continenti jungitur, parum abest quin
hinc Ionium, inde Ægeum vi sua insulam efficiant. Est
Peloponnesus platani folio, ob maria quæ se illi insinuant,
assimilis: a septentrione Ionium irrumpit, ab occidente
Siculum, inde Creticum a meridie urget, a brumali ortu
Ægeum, a solsticiali Myrtoum: trecentorum, Isidoro au-
tore, sexagintaque trium millium passuum circuitu patet:
circa Isthmum ad septentrionem Corinthiacus est sinus,
quem hodie Patrensem vocant: ex adverso Saronicus, in
hoc Cœncreæ vetustissimum navale, in illo Lecheum. Apie
olim tota terra dicta, inde vero Pelasgia, diutissime Pe-
loponnesus, quo nomine libentius utimur: *Morea* hodie

1458
Typogra-
phia prima
in Italia.

1461

1462

Christopho-
rus Maurus
Maripetro
succedit.
Causa belli
cum Otho-
mano.

Peloponnesus
descriptio.